



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum I. Decimam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

CAPITULUM II.

Novum.

PARAPHRASIS.

Exactionis hoc novum genus est, si Clerici à Clericis decimas exigant, cum nusquam in lege Domini reperitur, quod Levitæ à Levitis decimas acceperint. Veruntamen Clerici, quibus alij Clerici spiritualium ministeriorum labores impendunt, hisipsis decimas merito persolvunt.

PARAPHRASIS.

Quomodo Clerici ad decimas dandas obligentur.

NOtandum. Clerici, qui decimas, aliosve fructus ex titulis Ecclesiasticis accipiunt, ex ijs sibi invicem decimas non dant. At verò ex alijs proventibus suis Clerici pastoribus, à quibus spiritualia accipiunt, decimas dare coguntur. Ita explicat *Suarez lib. 1. de decimis c. 17.*

Verum hujus cap. vix aliquis hodie locus est, quia personales decimæ hodie non sunt in consuetudine; at verò in decimis realibus, spectato communi jure, attendi debet ad parochiam, intra cujus fines prædium situm *c. quoniam 13, hoc tit. Vide, quæ dixi lib. 4. tra. 6. c. 1. n. 3. & c. 3. n. 2.*

CAPITVLVM III.

Ex multiplici.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem, & Conventum ex una parte, & parochum nomine Ecclesiæ suæ ex altera parte transactio facta fuit, instrumento authentico monachorum roborata, quòd monachi parochi, & Ecclesiæ

Y y 3 ejus

Inter jura parochialia non minimum locum tenet jus decimarum, primitiarum, & oblationum; idè postquam de parochijs, & quibusdam ejus juribus actum est, peculiariter jam titulo de decimis &c. subjungitur.

CAPITULUM I.

Decimam.

PARAPHRASIS.

Populus Israeliticus partem decimam frugum ex Legis præcepto Leviticæ Tribui solvebat; & rursum Levitæ ex ipsis decimis partem decimam Sacerdotibus *lib. 2. Esdra c. 10. v. 37 Deuter 18. v. 23.* Erant & aliæ decimæ fructuum, quas quisque è populo in hortis separabat, ut cum in templum Jerusalem iret, eas comederet in vestibulo templi cum Sacerdotibus, & Levitis *Deuter 12. v. 11. & 14. capite v. 22.* Sed & aliæ decimæ erant, quas pauperibus recondere solebant *Deuter. 26. v. 12.* At verò primitiæ, quas de frugibus offerrebant Hebræi, non erant in quantitate definitæ, sed offerentium arbitrio relicta: erat tamen traditio Hebræorum à Magistris introducta, quòd, qui plurimum dare vellent, quadragesimam partem; qui minimum, sexagesimam darent, adeoque inter quadragesimam, & sexagesimam offerre liceret, quòd cuique liberet; & ita, quòd in Pentateucho decretum non erat, id Magistri Hebræorum definièrunt, propter Sacerdotum avaritiam, ne supra modum exigerent, ut colligitur *ex c. 45. Eszechielis v. 11.*